

LAGUS, GABRIEL JOSEPHI
HANSSON

**Oratiuncula Neostadii descriptionem ...
repræsentans : (Åbo 29 nov. 1663.)**

Aboæ
1663

EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400-till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- ⇒ Få samma utseende och känsla som med originalet!
- ⇒ Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- ⇒ Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- ⇒ *Sök*: Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- ⇒ *Klipp & klistra*: Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- ⇒ Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.

Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- ⇒ <http://search.books2ebooks.eu/>

NYSTAD

(LAGUS)


F 1700 Sv. Samml.

R. 1193 Före 1700

Lat. Tid. Oster

(P. 2)





NYSTAD

Lu. Pauli.
Febr. 1700
Lestelöfver
(Pr.)

4

ORATIUNCULA
NEOSTADII

Descriptionem, veraq; ac
digna Encomia repræsentans;

QUAM
DEO DUCE

In celeberrima Academia

Aboënsi frequenti Amplissimorum, No-
bilissimorum & Præstantissimorum Au-
ditorum confluxu die 29. Novemb.
anni 1663. proclamavit

GABRIEL JOSEPHI LE-
PUS NEOSTADIUS,
S. R. M. Alumnus.

Cic. Philip. 5.

*Ipsa patria, dici vix potest, quid charitatis, quid
voluptatis habet.*

A B O Æ

Impressa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.



S. R. M. Servitori fidelissimo,

Nobilissimo ac bellicâ virtute celeberrimo

DN. ERICO Wistolhielm/ Hæ
reditario de *Haudois & Tolswila &c.* Equestris le-
gionis in Carelia Chiliarcho strenuissimo, Mecœnati ut
sanguine mihi juncto: ita admodum benigno humi-
limoq; obsequio perpetim colendo.

U T E T

Singulari prudentiâ politico, Reverendis & Præstantissimis Viris,

DN. CASPARO Lickman/ CONSULI Urbis
Neostadiæ attentissimo.

DN. HENRICO C. Lickman/ PASTORI no-
minatæ Civitatis perindustrio.

DN. JOHANNI P. ULMSTADIO Smo-
lando, **RECTORI SCHOLÆ** ejusdem urbis dignissimo,
Virrico meo æternum venerando.

DN. ERICO CHRISTIERNI Kempe/
TELONARIO ibidem accuratissimo, Sororio
meo per dilecto.

NEC NON

Prudentibus & Integerrimis Viris,

Dictæ Civitatis SENATORIBUS laudatissimis,
SECRETARIO solertissimo,

Atq;

CIVIBUS honoratissimis;

*Fautoribus & Benefactoribus Declamatiunculam
hanc in felicissimum NOVI ANNI
auspicium officiosus offero ac inscribo*

Gabriel Josephi Lepus.

Candido ac benevolo Lectori Salutem.

Divinus ille vates, Rex ES Psalmographus David inter alia innumera, quæ de populi Dei, extra ES intra patriæ limina constituti statu ES conditione, Spiritu Prophetico vaticinatus est, non postremum est illud, quo patriæ ejus dulcissima amorem, desiderium ES jucunditatem, atq; gratam memoriam hunc in modum, Psal. 137. v. 5. ES 6. graphicè depingit ac prædicat:

Si oblitus fuero tui Jerusalem, obliviscatur dextera mea (sui) i e fiat abalienata, atq; emortua potius, quàm ut eâ psallam. Adhæreat lingua mea p lato meo, si non meminero tui: si non ascendere fecero Jerusalem super caput lætitiæ meæ. h. e. (dicente Glassio in Philologia sacra) faxit Deus, ut nunquam amplius vel psallere, vel canere possim, si hoc tantum scelus admisero, ut desinam te Jerusalem, tuamq; religionem ES ministerium, meis hymnis, meâ Musicâ, ES meâ voce celebrare: imò ego semper te primo loco, ES ante omnia alia mea gaudia ES res lætas canam ac celebrabo. Rectè igitur faciunt Judæorum imitatores, qui natalis soli memoriam celebrant, quorum vestigia premens Ornatissimus ac Præstantissimus Studiosus DN. GABRIEL JOSEPHI LEPUS NEOSTADIUS, S. R. M. tis Stipendiarius perindustrius, Orationem elegantem concinnavit de patriæ suæ charissimæ NEOSTADII laudibus, quam hodiè, Divinâ favente gratiâ, post preces vespertinas, in Auditorio Maximo, pro concione habere decrevit. Quare me ad Humanissimos ac doctissimos Dominos Studiosos converto, officiosè rogans, ut suâ laudibili præsentia ejus honestum conatum juvare atq; consdecorare velint Interea omnes benè valere jubeo. Dabam Abœa 29. Novemb. A. 1663.

Petrus A. Bergius.

DEmosthenes Orato-

rum omnium facile princeps, cum in Calabria exularet, scribit se indies ad culmen istius sacelli, ad quod contugit, ascendere, ac inde diu istam regionem, quæ Athenas versus sita fuit, ingenti dolore ac desiderio spectare solitum. Non absq; ratione factum. Nam ducimur omnes incredibili amore regionis illius, quæ nos aluit, juxta illud Ovidii:

Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos

Ducit, & immemores non finit esse sui.

Huic etiam Eloquentiæ apex Cicero album addit calculum dicens: *Nihil patriâ dulcius: nihil charius in vita esse debet. Nullus quippe locus est domesticâ sede jucundior. Chari quidem sunt liberi, propinqui, familiares; at omnes omnium charitates patria una complexa est.* Respicit & huc Plato vir divinus, dum hanc memorabilem protulit sententiam: *Nulla in hisce terris major est charitas usnicuiq; nostrum, quàm quæ cum patria est.* Et id verissimè. Patria enim quæ parens communis est, hujus beneficio moribus exornamur: hujus benignitate sustentamur: hæc nos disciplinis, artibus & opibus instruit: hæc ad dignitates nos evehit: hæc omnia ad civium suorum emolu-

men-

mentum & ornamentum refert: hæc amat nos,
cupit & ipsa redamari. Et ut verbo dicam:
*Patria requirit à civib. gratitudinem, obsequium ac of-
ficia.* Et cum in hodiernum diem munus decla-
mandi mihi ab iis demandatum, quorum apud
me plurimum valet, & apud omnes penè va-
lere debet authoritas, quibus si refragari voluis-
sem, non tantum debitum eis obsequium de-
negassem; verum etiam divinum de honoran-
dis parentibus mandatum impiè violassem: hæc
ego mecum sollicitè pensitans temperare mihi
haud queo, quin Civitatis patriæ meæ, quæ me
genuit, aluit, hospitium non ingratum præbuit,
NEOSTADII amore ducar, atq; justum enco-
mium ejus pro ingenii mei modulo celebrem. In-
grati certè hospitis stigmatè jure meritoq; nota-
rer, si vel longinqua & extera cogitando, vel il-
las res laudando, quæ ab aliis satis laudatæ sunt,
svavissimæ ac nobilissimæ hujus urbis oblivisce-
rer, quæ insignem meretur commendationem.
Quod dum fecero, à vobis *Aud. desideratissimi*, eâ
quâ decet humanitate ac observantiâ majorem
in modum peto atq; contendo, ut aurem au-
raniq; benignissimæ voluntatis mihi præbere,
ac æquitate vestrâ supplere dignemini, quod æ-
tati & ingeniolo meo deesse haud invitus agno-
sco.

*O Pater alme tuo verbo qui cuncta creasti,
Da facilem cursum, atq; audacib; annue captis!*
Urbis hujus prima initia quod concernit, funda-
ta est illa die 19. Apr. anni 1617. ab incompara-
bili olim Herœ ac Rege gloriosissimæ memo-
riæ DN. GUSTAVO ADOLPHO MA-
GNO, de cujus heroicis virtutibus & rebus ge-
stis satius est tacere, quàm tenuiter dicere. Cui
*symbolum erat: Gloria Altissimo Suorum Refugio. E-
pitaphium aureis sepulchro illius inscriptum fuit
literis, vitam atq; res gestas breviter compre-
hendens, hisce verbis: Pietatem amavit: in angu-
stis intravit: hostes prostravit: regnum dilatavit: op-
pressos liberavit: Svecos exaltavit: moriens trium-
phavit.*

Et ea quidem hâc occasione primitus funda-
ta. *Nykyrkienfisibus* enim & *Lethalenfisibus* quondam
concessum fuit navigare ac mercaturam exer-
cere, tam in exteris, quàm in hujus regni urbi-
bus, & præcipuus horum conventus fuit in *Ny-
kyrkienfi* parœcia & pago *Mennâis* / ubi singu-
lis diebus Sabbathi nundinas celebrârunt; quem
pagum amnis quidam dividit, itq; extendit se
ad mare: voluit itaq; piissimæ memoriæ Rex
(qui ipse quoq; tunc ibi adfuit) ut ibidem civi-
tas extrueretur; sed cum ad mare intervallo
unius milliaris inde distaret eadêm in parœcia

pagus nomine *Mæhåldå* / locus & navigationi
& aliis opportunitatibus aptissimus, supplices pe-
tierunt à S. R. M. te nomine parochiarum *Pastor*
Nykyrkienfis tunc temporis DN. NICOLAUS Eri-
ci & vir prudens ISAACUS NICOLAI Pagimagi-
ster de *Harickala* / ut in gloriam Dei, S. R. M. tis &
patriæ commodum civitas illic ædificaretur,
quorum submissis votis Clementissimus Rex an-
nuit, atq; insignita fuit urbs à S. R. M. te nomi-
ne *Neostadii*; siquidem in finibus parœciæ *Ny-
kyrkienfis* sita esset. Immunes etiam fecit inco-
las ejus omnium onerum publicorum ac con-
tributionum annos duodecim, Eximiis eos
exornavit privilegiis, imprimis ut jure civili, non
secus ac cæteræ civitates, liberè uterentur. In-
signe dedit illis duos lucios arrectis capitibus &
depressis caudis. Acceperunt & omnes istos
fundos, quibus antea pagi *Mæhåldå* / *Pietola* &
Kuocalaari fruebantur. Donavit insuper illos
insulis: *Hangosaari* / *Haidus* / *Heinås* / *Wilsalo* /
Lajois / *Carnicari* / *Koutulais* / *Påhkinåis* / *Ma-*
donmaa / *Hawascari* / *Carilais* / *Hattucari* / *Latis-*
stäär / *Colmhaara* / *Cunicari* / *Wysastencari* / *Sei-*
conmaa / *Hepocari* / *Morsiancari* / *Lalticari* / *Ku-*
hicari / *Tormicari*. Concessit proporro S. R. M.
ipsis pari jure cum istius loci agricolis piscatu-
ram ex. cere; nec non uti Parochiæ insulis:

Rulluoto/ Hylsimys/ Corwensaari/ Storcastis/
Dinassaari/ Puutumaa/ Kudumaa/ Maqanmaa/
Yttari/ Cusisto &c. Anno deinde 1627 largita est
illis pascua quædam celeberrima *Sorwacko*/ in
quibustanta pabuli lætitia est, ut æstivo tempore
oculos herbas intuentium in magnam rapiat ad-
mirationem: hîc svavissimus pecorum saltus &
faginæ quàm maxima ubertas, quorum laudibus
decantandis brevitatis temporis vix sufficit.

Primos inhabitatores hujus urbis nunc recensebo.
Ab ejus fundatione usq; ad annum 1622 usi sunt
incolæ Verbi Divini Ministris Ecclesiæ *Nykyrki-*
ensis, tunc vero primùm ad petitionem civium
ex consensu Venerabilis Consistorii Aboënsis
missus est eis à viro plurimùm Reverendo *Dn.*
M. Erico Erici Episcopo quondam *Aboënsi* lauda-
tissimo peculiaris animarum Pastor *Dn. JOSE-*
PHUS GEORGII LEPUS TAMMELEN-
SIS, pater meus quondam perdilectus, qui o-
ctodecim annos muneri Pastoris præfuit. Pri-
mus *C O N S U L* fuit nominatus vir pruden-
tiâ præstans *Isaacus Nicolai de Haridala. Clemens*
cognomine *Laiista Secretarius*. Primi *Cives* fuere
viri honesti, opulentiâ & in ædem sacram libe-
ralitate conspicui, videlicet *Christiernus Matthia*
Kempe/ Henricus Ciuttu/ Bartholdus Olai, Mat-
thias de Gammela &c.

Tempus illud, quo urbem inhabitare coeperunt, fuit *optimum*, absq; bello, & absq; omnianonæ caritate, adeo ut cantharus cerevisiæ *Rostochiensis* inibi solido argenteo venderetur, tonna ejusdem generis 6. marcis, tonna salis 6. marcis, tonna frumenti erat paris æstimii & valoris cum tonna salis. *O tempora magis optanda, quam expectanda!*

Locum ejus quod attinet, sita est in diœcesi *Aboënsi*, distatq; *Aboâ* 8. miliaribus ad occidentem, à civitate *Raumoënsis*. mill. ad austrum. Orientem versus paulò ante portam civitatis lacum elegantem habet, qui nomine *Kuocalaari* gaudet, ita dictus nomine congruentissimo, à *Kuoca* cibus, & *Laari* sinus maris, q. d. *Finnonicè*: *Laari* loca *miehel-*
len ruan anda / *sinus qui viro alimentum ministrat*: abundat enim *piscibus* delicatissimis, *luciis*, *percis*, *lasonibus* &c. *Ibi* dulcissima quoq; *urbis aquatio*. *Templum* ad sacrum usum constructum habetur in parte *urbis occidentali*, egregium quidem & magnum, elegantissimis imaginibus, *subsellis*, *tumulis*, *suggesto* pulchro exornatum, *cœmeterio* venusto circumseptum, *choro* lapidibus excellentibus fulgido condecoratum; gaudet & *vestibus* sacris ac *calicibus* pretiosis, nec non *insignibus* *campanis*. *Templi* hujus *edificatio* An.

no 1623. die 12 Junii *inchoata*, & Anno 1629 *absoluta*;
in quo verbum Dei, syncerè ac purè prædicatur,
sacramenta in legitimo ac vero usu suo admini-
strantur. *Curia* ab ædificiis civium benè ma-
gno distra est intervallo, ne si fortè civitas con-
flagrare cœperit (quod tamen Deus avertat) in-
cendio sit opportuna. *Forum* planitie decorum
purumq; sordibus, in meditullio, non secus ac
cor vel ventriculus in corpore humano conti-
netur. *Platea* munda; recta, atq; lapidibus strata,
quarum latitudo est triginta cubitorum.

Et licet hæc urbs mœnib. ac muris circum-
cincta non sit; tamen loci naturâ Deiq; præsi-
dio cum cæteris laudatissimis urbibus certare
non veretur. Tanta ibi *navigandi commoditas*, ut
uno saltem vento inde ad maritima Germaniæ
loca quævis penetrare possint.

Ædificia ejus utut lignea: pulchra tamen &
nitida sunt, lignis & calce obducta, cespitibus,
corticibus & ligneis trabibus recta.

Salubri præterea & accommodissimâ fruitur
aëris temperie, valetudini & saluti incolarum pro-
movendæ convenientissimâ; unde fit ut rariùs
morbis exitialibus, utpote lue pestilenti, & aliis
ejusmodi morborum generibus affligantur. *Solum*
habet fertile, ac omnis generis frumenti fe-

rax:

rax: *Pascua* saluberrima & celeberrima: *Prata* jucundissima: *Agnos* amænissimos & *sylvas* suavissimas.

Quod verò *civium mores* spectat, bene morati sunt & culti: vigetq; inter illos urbanitas, humilitas, mutua officiorum communicatio, familiares congressus: floret humanitas, candor ac integritas: non sunt invidi: non obrectatores: luxui non indulgent: ab astutia & dolo alieni: discordiam, avaritiam, perfidiam, aliaq; ejusmodi vitia fugiunt: animos habent apertos & nullâ malevolentiam occultâ suffusos: sunt & justitiæ amantes: novorumq; habituum ocores: non sunt proclives ad rixandum, jurgandum, aut gladiis concertandum. Sed ut uno verbo dicam: *sunt honesti & pii*. Magistratui absq; murmure ac contradictione tributa dando atq; jussa exsequendo summam declarant incolæ obedientiam. Benevolentiam & liberalitatem eorum erga peregrinos dum attigero, illos civitates vicinas multis parasangis antecellere non pudet confiteri.

Cives honestè ac liberaliter vivunt *mercaturâ*, quam diligenter exercent. Noverunt enim *mercaturam* portam esse provinciæ cuiuslibet ad introducendas opes. Quæq; tam honesta & liberalis

ralis est, ut homines alioqui clarissimos priscais
temporibus hanc exercere non puduerit. Quid
enim quæso *Venetos, Lucenses, Genuenses, Norim-
bergenses, Francofurtenses, Florentinos, Augustanos,
Ulmanos*, aliosq; ad tantam perduxit potentiam,
nisi *mercatura*? Quid est quæso, quod tot famili-
as *Italiae* ad maximam ferè nobilitatem extulit,
nisi *mercatura*? Itaq; mercaturam *Neostadii* sum-
mâ sedulitate colunt. Excurrunt enim navigiis
suis egregiis *Rigam, Dantiscum, Stetinum, Gryphis-
waldiam, Stralsundium, Rostochium, Wisnariam, Lu-
becam, Hafniam, Christianopolin, Malmogiam, Cal-
mariam, Norcopiam, Nycopiam, Sudercopiam, Gewa-
liam, Telgam* utramq; *Wiburgum, Narvam, Revaliam,*
& ad alias infinitas oras, deportando cochlearia,
cantharos, vannos, tudiculas, asseres, hydrias, alveos,
*quatos, scutellas, lagenas, fomites, cortices, patinas, ton-
nas, orbiculos,* & cætera quàm plurima, utut lignea
sint; tamen suo pretio non destituuntur: Re-
versæ autem magnam pecuniarum vim afferunt.
Neq; tu *Metropolis Sveciæ Holmia* nostræ civi-
tatis mercium es ignara; dic quantum conflu-
rum taurorum, vaccarum, bovium, ovium *Neo-
stadii* tibi apportant? Dic quæso, quot tonnas
præstantissimarum carniū? Quot vasa elegan-
tia? Quot mille pondera butyri? Quot talenta
egre

egregiorum calceorum & seborum? Quot paria calceorum, caligarum, chirothecarum, Neapolitani æquissimo pretio contenti tibi vendunt? Res cæteras à Neostadiis benè gestas & in patriam merito præstat modesto silentio involvere, quàm laudib. incredibilib. extollere. *Officinâ disciplinarum* quoq; gaudet Neostadium, ubi artium rudimenta proponuntur, & religio vera juventuti Scholasticæ sedulò inculcatur.

Politiam eorum quod attinet, paucis referam. Agnoscunt *Summum Magistratum* Serenissimum & Potentissimum Regem ac Dominum Dn. CAROLUM XI. cum Sveciæ regni proceribus Illustrissimis ac generosissimis, *Consulem* prudentissimum, & 6. *Senatores* viros cordatos, qui omnes causas & controversias juxta æquissimas patriæ leges examinant, ponderant, dijudicant, pios & innocentes defendunt, impios ac perversos, si qui inveniantur, absq; respectu severè puniunt.

Quamvis hæc ornamenta, de quibus jam dixi, magna sint, & magnificienda: tamen multò divinius est *Ecclesiam* in urbe hac benè constitutam esse. Nam quid opes ingentes & divitiarum abundantia in urbe aliud sunt sine salutaris verbo Dei, quàm inania *Θεαγγερα*, seu ludicra. Idcirco censeo, nullum in urbe præstan-

tius ornamentum esse, quàm rectam informa-
tionem Ecclesiæ, quæ urbem verissimè beat &
locupletat. O itaq; prosperum urbis statum! ô
terq; quaterq; beatos cives, qui urbem tot bo-
nis cumulatissimè refertam habent! Gaude dul-
cissimum *Neostadium*, quòd cœlesti luce cæteris-
risq; ad salutem necessariis sis illuminatum: E-
xulta, quòd ex hostium technis & insultibus sis
liberum: Plaude *Neostadium*, quòd à Satanæ
tentationibus ac insultationibus sis salvum: Ex-
porrige frontem, quòd peste, cæterisq; variis
variorum generum morbis non affligaris: Læ-
tare, quòd tot egregiis insulis, unde tibi ligna
& alia necessaria comparare potueris, fruaris:
sis hilare *Neostadium*, quòd tot agros & prata
perjucunda habeas: Insuper age Deo immor-
tales grates, quòd verbi divini ministros fide-
les, & magistratum justitiæ ac pietati addictis-
simum semper habueras, & etiamnum habes.
Jubila ergò cum *Psalte*: *Lauda anima mea Domi-
num, & omnia intestina mea nomen Majestatis ejus.*
O patriotæ perdulcès! nostrarum est partium,
(non duntaxat præsentès, verùm etiam absen-
tes alloquor) ut congaudeamus, Deoq; inde-
fessi hymnos pro tali patria, in qua nos nasci
voluit, decantemus. Neq; nostrum est cele-
britati ejus in totum confidere. Nam

Quid

Quid tibi nobilitas patria? quid nomen avorum?

Si servus vitis factus es ipse tuis.

Operam iraq; demus, ne ab egregia nationis indole degeneremus, atq; sic patria nobis erit ornamento ac decori.

Ast ne Auditorum benevolentia injurius sim, hic supersedeo exoptans illud, ut quemadmodum tu *Neostadium*, cujus encomium verum in medium adduxi, non ut debui, sed ut potui, ut inquam hactenus vixisti, floruisti, vigeas & floreas adhuc ad seram usq; posteritatem. Vigeat *Neostadium* candor, integritas & humanitas: vigeat amor eorum naturalis erga peregrinos: vigeat solita benignitas erga militantes in Musarum castris: vigeat ingenii dexteritas: vigeat favor ipsorum innatus erga paupertatis onere pressos: vigeat religio eorum inviolata: vigeat admirabilis industria illorum: vigeat mercatura: vigeant & germina tua, o *Neostadium*, quæ in te sunt, in gloriam Dei, Ecclesie ac Reip. emolumentum, tibi vero ipsi in perennem honorem. Exaudiat id alma Trias!

Vobis verò *Aud. Benignissimi*, gratias, quas possum, ago maximas, quòd hoc in loco convenire, & vestram erga me benevolentiam in
audi-

audiendo declarare, haud fuistis gravati, omnibus quoq; ac singulis, quantum tenuitas mea admittet, memoris gratiq; animi mei promptissima officia lubens vicissim offero; prætereà vos obnixè rogo, ut si quid rei gravitate minùs dignum prolatum sit, mihi balbutienti veniam detis.

Tibi DEO T. O. M. devotas agimus gratias, quòd tam clementer patriam nostram tutatus fueras, fidis moderatoribus & præceptoribus nos donâveras, Remp. Ecclesiam ac Academiam hanc conservâras, atq; studiis nostris ita benedixeras, ut inde indies Reip. organa salutaria quàm plurima prodierint. Te quoq; supplices oramus, ut Serenissimum & Potentissimum Regem ac DN. nostrum Clementiss. à cunctis malis defendere digneris; da prætereà ipsi eas animi dotes & virtutes salutaris, quæ tibi honori & gloriæ, toti regno salutis ac emolumento esse queant. Adesto quoque ô Deus Consolator Optime Serenissimæ Reginæ Viduæ mœstissimæ. Guberna Illustrissimos Regni Senatores, & largire ipsis salutaria consilia! Cumprimis custodiat manus tua Magnificentiss: Dn. Cancellarium Academiae nostræ, Amplissim: Dn. Pro. Cancellarium,
Magni-

Magnificum DN. Rectorem, docentes & discentes. Da insuper Dn. Deus, ut nos qui in hisce Musarum castris degimus, patriæ aliquando commodo, parentibus gaudio, amicis ac cognatis ornamento, nobisq; ipsis utilitati esse queamus, & deniq; læti in veram patriam nostram transferamur!

D I X I.

Allusio extemporanea

Ad Nomen perorantis, Humaniss.

DN. GABRIELIS LEPORIS Neapolitani, amici & conterranei sui dilecti.

*Est Lepus in sylvis animal timidum bene notum,
Quem leve vel folium perterritat. Ipsaq; mater
Voce sua cogit teneros ad pabula natos.*

*Hinc canibus capti facileq; ad retia ducti
Non matrem noscunt catuli: non ipsa catellos;
Nec patriam recolunt, nec matrem agnoscere possunt;*

*Sed Lepus hic, nosterq; Lepos (vadæq; medulla
In densis sylvis atq; intra Palladis hortos*

*Currens, Aonidum castra imperterritus urget.
Non capitur canibus sectarum vel dubiorum.*

*Non matrem fugit hic, patriæ non immemor unquam,
Sed celebrat patriam Natus, ceu gratus alumnus.*

Hoc dodecastico facta ab

ERICO JUSTANDRO

Poës. Prof. ordin.

C

Vellem,

•
•
Vellem, si possem Tibi, mi Præceptor amande,
Fundere nunc versus; sed mea Musa vetat.
Gratulor ex animo tamen, & precor omnia fau-
sta.

Ne temnas votum. Vive valeq; diu!

*Hæc Præceptori meo gratulabun-
dus apposui*

SAMUEL GyllenStålpe.

DEbita quòd laudum patria persolvit amœna,
Rem te condignam, suavis amice, facis.

Istud enim gratum patria te ostendit alumnum
Simplicis atq; pia dexteritatis opus.

Macte bonis avibus, studiis intentus honestis,
Quo bene cœpisti sic pede semper eas.

Sic Patriæ laudes cumulabis, & ipsa vicissim
Te decus agnoscet, deliciumq; suum.

*Sic Doctiss: Dn. Peroranti amico suo
perdilecto gratulari voluit*

Henricus H. Blanck Aboënsis
Regius Alumnus.

Pulchra quidem res est, GABRIEL Patriota colen-
de,

Rerum nunc causas naturæ scire sacrata;

Verum

Verum laus Patriæ laude est præstantior omnis;

His Tu das operam pariter suavissime fautor.

Ut tandem titulos habeas nomenq; Magistri,

Hoc animo voveo lætus de pectore toto,

Nec non insuper hoc, ut vivas Nestoris annos!

Lingvâ manuq; applaudebat

Andreas Simonis Kexlerus

Stipendiarius Regius.

PAlladis assiduus cultor, dignusq; per amplis

Laudibus, es Gabriel nam tute Affinis amandè;

Ædes natales extollis voce sonorâ,

Ducis ad eximium meritorum culmen honorum,

Ingenio vires addat, placidusq; Jehova

Annuat, & captis aspirent prospera fata!

Hæc Dn. Affini meo peroranti

festinus apposui.

Gustavus Johannis Collinus

Pelkenensis.

Quod TIBI sit magnæ dulcissima patria curæ,

Hoc prodis docto pariter sermone polito,

Egregias celso laudes de ponte cathedræ

Decantas Urbis, GABRIEL, dum dulcis amice;

Civibus ejusdem gratum conamine tanto

Officium præstas, læti qui fausta vicissim

Vora

Vota vovent, studiūsq; tuis meliora precantur.
Perge peto plures promptè producere porro
Fœcundi genii fœtus; tua cœpta secundet
Singula Servator summus, sic supplico semper
Fias ut patriæ terræ ornamenq; decusq; !

*Sic tenui charus venâ grata-
tur amicus*

Andreas Jonæ Mennander
Nykyrkenfis.

L Audibus extollis, Præceptor devenerande,
Nunc natale solum; in studiis sic pergito porro,
Quæ Tibi fortunet vasti moderator Olympi!

*Ita Præceptoris meo perdilecto tenui
venâ gratulor*


Johannes Erici Leander.


Urbem cum patriæ meritis nunc laudibus or-
nas,
Hinc **TIBI** lat dignæ surgunt encomia famæ.
Pergito sic felix Gabriel Præceptor amande;
TE Deus ipse juvet; studiis det vela secunda !

*Præceptoris colendo debiti honoris ergo
cordicitus vovebam*

Gabriel Erici Leander.







www.books2ebooks.eu